





DE RELATIONE  
JURIS CIVILIS ROMANI  
AD  
JUS NATURAE

SECUNDUM LEG. VI. D. DE JUSTITIA ET SURE.

CONSENTIENTE INCLYTO JURISCONSULTORUM ORDINE

PRAE SIDE  
VIRO ILLUSTRI AMPLISSIMO  
DOMINO

JOANNE CHRISTIANO MAJER

A CONSILII JUSTITIAE REGI DANIE, AC PROF. JUR.  
PUBL. ET FEUDALIS ORDIN.

PRAECEPTORE SUO PIE COLEND  
PRO GRADU DOCTORIS

DIE JANUARII MDCCCLXXXVIII.

SCRIPSIT

JACOBUS FRIDERICUS WEISHAAR  
KORBENSIS.

TUBINGAE  
TYPIS FUESIANIS

PRÆNOBILISSIMO DN. CANDIDATO  
AMICO SUAVISSIMO

S. P. D.

PRÆSES.

*Juris naturalis principia cum Romanae legislationis praeceptis compa-  
rando, cum acrioris ingenii tum indecessi litterarum studii tui indeque com-  
paratae eruditionis præclarum hocce abs te conscripto libello edidisti documen-  
tum; eumque, qualem mihi obtuleras, talem tibi reddidi integrum: dogmatis  
tui ULPIANI probe memor, alterius rei cum aliquid modo addamus, modo  
detrahamus, prorsus aliud inde effici, idque novum ac nostrum: ego  
vero, ut cuique suum, ita multo magis Tibi, AMICE SUAVISSIME,  
tuum abs me reddi posse ac debere integrum, mihi persuadere facile potui.  
Proinde tibi potius gratulor de tuo opusculo atque tuae eruditionis specimen;  
tibique longinqua itinera intendentि, ut omnia ex votis cedant, iisque tandem  
peractis salvis atque incolumis in patriam redeas, ex animo appreco. Vale  
meque amare perge. Dab. Tübinger d. 9. Januar. 1798.*

## PROLEGOMENA.

Jus civile, seu *positivum*, licet è voluntate summi imperantis in republica proxime promanet; iuri *naturali* tamen, tanquam *fundamento* suo innititur, & quidem *duplici* ratione. Primum, ius illud, hominibus, natura sua suis tantum legibus subiectis, leges imponendi, quas sequantur, atque obligationes superinducendi, quibus teneantur, nonnisi ex juris naturalis principiis vires capit. *Conditio* est igitur jus naturæ, sine qua existere non posset jus positivum. Deinde, qui leges civitati scribit, non potest non æternas juris regulas, quas ratio humana, fons omnium jurium, constituit, sequi. Itaque ipsi *legislatori* leges scribit jus naturæ. At hæ leges, quales proveniunt è fonte suo, omnes non sufficiunt in statu hominum in republica conjunctorum; informare ergo illas, prudentiæ est legislatoriæ. Jam vero, quomodo in informando jure naturæ versetur prudentia ista, cognoscere, cuiuslibet juri positivo operam dantis intersit necesse est: *tam* ejus, cuius est, principia scientiæ exponere atque illustrare, *quam* ejus, qui ista ad causas in foro obvenientes applicanda sibi sumserit. *Prioris* vero, non ideo, ut ratio systematis juris positivi formandi inde petatur; id quod nuper scriptori hac de re ceterum ingenioso placuit: <sup>1)</sup> sed potius, utne inepta legum, præsertim earum, quæ libertatem naturalem restringunt, interpretatione eaque extensiva, jura civium lædantur: quippe quod & *posteriori*, qui in vitam introducit hæc

<sup>1)</sup> ZACHARIÆ VON der wissenschaftlichen Bearbeitung des röm. Rechts, quem refutavit GROS in progr. de justo philosophiæ usu in tractando jure rom. Erl. 1796. 4.

præscripta, quam maxime curæ cordique esse debet. Uterque vero, jus civile ita intuens, fines cognoscet, intra quos legislator continere se debet; multoque minus difficultatis in pertractandis sive juris doctrinis sive causis forensibus habebit, rationem modumque inspicio, quem sequitur juris auctor in condendo jure civili. Oritur ex hac methodo jus civile tractandi aliud non minus grave commodum. Ut grammatici à lingua jamjam exculta atque perfecta, ut ab exemplo quodam, regulas linguarum abstrahunt; ita Jurisconsultus à jure in civitate sua vigente scientiam legum ferendarum abstrahere, atque ita ad summam, ad quam aspirare decet Jurisconsultum, pervenire potest dignitatem.

Periculum feci hac in re: at tantummodo *præcipua* juris Romani capita *ita* tractanda mihi sumsi, ne fines libelli academici excedat materia.

### §. I.

#### *Expositio l. 6. D. de iust. & jure.*

Inter alia *dogmata*, quæ sive è consilio, ut viro cuidam celeberrimo videtur<sup>2)</sup>, sive ob ineptiam negligentiamve in excerptis Jurisconsultorum libris commissam, inserta sunt corpori juris romani, illud præcipue attendendum mihi videtur, quod l. 6. D. de *iustit.* & *jure* nobis traditur. „*Jus civile est, quod neque in*

2) ADOLPH. DIETR. WEBER, in tr. *Reflexionen zur Beförderung einer gründlichen Theorie vom heutigen Gebrauch des römischen Rechts.* 1782, S. 31. sq. corpus juris rom. etiam tanquam sistema jurisprudentiae istius temporis considerari vult, illique, qua-tali, dogmata ejusmodi inserta fuisse contendit.

totum à naturali, vel gentium recedit, nec per omnia ei servit: itaque cum aliquid addimus vel detrahimus juri communi, jus proprium, id est, civile efficiimus." Insignis est hæc propositio, partim quia materiem suam plane exhaustit, partim quia, quod suavissimum est, inde apparet, auctorem illius, qui, ut alii Jurisconsulti istius ætatis, maximam in jus civile condendum vim habuit, de *natura juris* hujus *civilis*, ejusque *relatione ad jus naturæ* cogitasse. Auctor illius est ULPIANUS in libro primo *Institutionum suarum*. Exponit in eodem libro *naturam & notiones juris naturalis & gentium*, quæ l. I. §. 3. 4. D. eod. obveniunt, horumque illud in eo ponit, quod *natura omnia animalia docuit*, quodque non humani generis proprium est; ut *infans* se suumque genus conservandi: *hocce autem in eo, quo gentes humanæ utuntur*, & quod, recedens à naturali, hominibus solis inter se commune est; veluti *manūfissiones*, l. 4. D. eod. Traditis his, ad *juris civilis naturam* exponendam transit in illa propositione allegata, qua non tam id agit, ut, *quid sit jus civile seu positivum, definit, quam potius relationem hujus ad jus naturale & gentium, & rationem ejus constituendi, præterito fonte*, demonstrat. E connexione hujus propositionis cum supra ex L. I. §. 3. 4. allegatis, quæ sine dubio arctior fuit in *libro auctoris*, unde hausta ac extracta sunt, conjecturari me judice licet, illam ex contemplatione *juris naturalis & civilis*, & utriusque comparatione ortam esse; itaque à posteriori inventum esse illud *dogma*. Eadem igitur omnino, quam auctor ingressus est, ineunda est via, cui istud *commentari* lubet: ac proinde eodem ipso modo *præmissæ* querendæ sunt, quæ *hanc conclusionem* generunt: quippe quæ interpretandi ratio profecto, ut



obiter moneam, ad *genuinum verborum sensum* eliciendum admodum apta mihi videtur. Neque vero ideo, quod non satis exculta erant à Romanis principia juris naturalis, aut fundamenta in *legg. citatis* minus aptè posita invenias, periculum est, ut perpetram intelligas auctorem, vel, quæ non cogitaverit, ei suggeras: quia errores in *confessariis* plerumque sana mens eorum avertit; quod multis hac de re in *Digestis* obvenientibus fragmentis comprobatur.

## §. II.

### *Continuatio.*

*Summum* quidem principium, è quo Jurisconsultus de juris in civitate sua recepti natura meditans, exivit, *hoc esse* videtur: *jus naturale, vel gentium fundamentum est, cui totum jus civile superstrui* debet. Sive *jus naturale* in sensu l. 1. §. 3. sive cum *jure gentium*, quod *nos* *jus naturæ* appellamus, identice sumtum fuerit ab ULPIANO, parum refert. Licet enim *objecrum* *juris naturalis romani* nonnisi *instinctus* hominis esse videantur, qui omnibus animalibus communes sunt; quibus omnino addere aut detrahere nihilum potest *jus civile*: *rationem* tamen illis satisfaciendi determinare, est *Juris positivi*. *Jus gentium* vero ULPIANI & ROMANORUM cum nostro *jure naturæ* idem significare, satis notum est.<sup>3)</sup>

3) Si vero sub *jure naturali* *jus intelligatur, instinctus* istos innatos *sequendi*, facile in unum coalefcens *jus naturali & gentium*. Viderunt quippe Romani, iura nostra ratione materiae esse diversa; *alia* nobis vi *naturæ rationalis* nostra (Ciceroni recta ratio est fons juris, in lib. 1. de *Legibus*) *alia* vi *sensitivæ* nobis competere. Hoc *distingui* inter se debere arbitrii sunt, quia & animalia rationis expertia ad idem compelli viderunt, quod nos (licet sub *rationis auspicio*) vi corporis nostri appetimus, ut *maris & foeminae conjunctionem*: *alia* vero solos inter homines esse communia, ut *jus patitorum*.

## §. III.

*Continuatio.*

Hoc principio instructus dum evolvit jus civile Jurisconsultus philosophans; multa invenit jura, multasque obligationes in illo constitutas, quarum vim in jure naturali ponendam esse, vix ac ne vix quidem sibi persuaserit. Verum etiam alia reperit, quæ jure naturali certo certius nobis competunt, repetita dein jure civili atque confirmata. Hæc equidem verbis hisce latere arbitror: *jus civile neque in totum à naturali vel gentium jure recedit, neque per omnia ei servit.* Servire juri naturali jus civile nonnisi unico modo potest; pluribus autem recedere ab illo: quos indicat ULPIANUS, scilicet addendo illi, aut *detrahendo*. Illud fit primo: *augendo vim* jurium naturali jure nobis competentium; sive è republica sit hoc augmentum, sive prorsus arbitrarium, ritibusque populi tribuendum: veluti jura *familiae*. Quorsum pertinet etiam mos aliquoties in jure civili romano observatus, obligationes, quæ dicuntur imperfectæ, ad perfectas elevendo; officia virtutis in juris officia, ut KANTIUS loquitur, permutoando, jureque cogendi muniendo: cuius exemplum præbet liberorum obligatio *alendi parentes*. Deinde, ea civibus jura impertiendo, quæ repugnant juri naturali absoluto, propter aliorum libertatis læsionem ex eorumdem exercitio suboriundam. Eiusmodi est jus per *præscriptionem* acquirendi, & per *hereditatem*.

At porro, in *detrahendo* juri naturali versatur jus civile: aut talia jura civibus prorsus adimendo, quæ in statu naturali ipsis competunt, veluti *ius læsi in lædente suo ipsius judicio ac proprio Marte prosequendum*; aut saltem limitando eorumdem exercitium, circumscribendoque libertatem civium: ut jus *incundi matrimonium*.



## §. IV.

*Ratio præceptorum juris naturalis, & legum civilium.*

Jam vero ante omnia ē re esse mihi videtur, *rationem præceptorum juris naturalis, & legum civilium breviter ostendere*. Principia juris naturalis ē ratione promanant: & licet ad invenienda illa non factum ullum aut quæ sequi possent ex illo, cogitari opus sit; aptam tamen quibuscunque casibus decidendis normam præbent; dum omnia, quæ à priori veniunt, necessitatem & universalitatem secum ducunt. Enimvero leges *civiles*, quamvis non in singulas personas, sed generaliter condantur; 4) id tamen proprium habent, quod a legislatore, causa obveniente demum provocato, constituantur, & quæ ex facto aliquo oriri solent, respiciantur. Qua in re id principii loco constitutum est, ut „*ad ea potius aptari debeant, quæ & frequenter & facile, quam quæ perraro eveniunt.*” 5) Quoniam igitur *empirica* legum positivarum natura, & hujus ea ratio est, ut plenitudinis prope sit *impatiens*: „*neque leges ita scribi possunt, ut omnes casus, qui quandoque inciderint, comprehendantur;*” 6) proinde ex principiis, 7) eorundemque vi ac potestate 8) ulteriora licet consecitari, ad similia procedere 9) &, quæ ad eandem tendunt utilitatem, supplere 10). Huc spectat *interpretatio*, legum positivarum filia, & *perpetuus comes*.

## §. V.

*Ignorantia Juris.*

Enim vero dum ex aliena *ratione* descendunt præcepta juris *civilis*; merito certo hominum generi, modo ob sexus, modo ob

- 
- 4) l. 8. D. de Legibus. 5) l. 5. D. eod. de quo vide cel. WEBER von der natürl. Verbindlichkeit, 2te Ausg. 1795. §. 64. 7). 6) l. 10. D. eod.  
7) l. 11. D. de Legibus. 8) l. 17. D. eod. 9) l. 12. D. eod.  
10) l. 13. D. eod.

ætatis infirmitatem, juris ignorantia indulgetur à legislatore; id quod de jure naturæ fieri haud potest, quippe quod è sua cujusque ratione promanans imis medullis infixum hæret. <sup>ii)</sup>

### §. VI.

At jam *singulæ partes* juris civilis romani, per quas mihi eundem sumi, inspiciendæ, & relatio illarum ad jus naturale exploranda est. Aggrediamur primo jus *personarum*.

### §. VII.

#### *Jus personarum. Status.*

Qui in statu naturali æquales sunt homines, pariumque juriū participes, tam quoad facultatem fruendi innatis, quam nova adquirendi: eos certo, quoad hanc facultatem, impares reddit coalitio in rempublicam; sive prælucente *philosophia* sive *historia* duce, naturam hujus consociationis civilis sciscitaveris. Necessaria est hæc immutatio ad conservandam rempublicam. Machina enim illius nonnisi impulsoribus in diversis lecis appositis moveri potest; eo certius incommoda status naturalis evitantur, eoque rectius necessitati satisfit, legibus civitati pròspiciendi: quo pertinet *cognitorum ordinis designatio*, quod infra apparebit. *Conditio* hæc cibis imposta, vi cuius jura certa acquirere possunt, qua vero simul limites certi ponuntur, intra quos in adquirendis illis continere se jubentur, *status* dicitur; & complexus juriū, quæ vi status hujus competunt, *jus personarum* appellatur. Multum hac in juris positivi parte arbitrio tribui debere, multumque tribui solere, ex eo intelligitur, quod in ea potissimum mores populi, notiones illius magis minusve exultæ, atque liberior impeditiorve fanæ

ii) hanc ob rationem nonnisi juris *positivi* ignorantiam indulgere Romani.

mentis usus, quodammodo etiam forma civitatis vim suam exserunt; unde fit, ut ista juris pars plurimum habeat, quod dicitur *individuale*, nec in cuiuslibet civitatis legislationem possit transferri. Quantopere differt *Germanicum à Romano* jure personali, quantum distant hujus nobiles & servi à nobilibus & servis illius? <sup>12)</sup>

### §. VIII.

*Status simplices: homines liberi, servi, cives peregrini, sexus diversi.*

Summam hominum divisionem <sup>13)</sup> summamque jura distribuendi normam *Romanis* ex ipsorum opinione suppeditavit jus naturæ. „*Juris gentium enim esse*, ita putaverunt Illi, *& apud omnes peraque gentes animadverti posse*, quod *omnes homines aut liberi sint, aut servi.*” <sup>14)</sup> *Liberi* sunt, qui naturali facultate suo ipsorum arbitrio vivendi pollent, quatenus legibus non circumscriptum est; <sup>15)</sup> *servi*, qui dominio alterius contra naturam subiecti sunt. <sup>16)</sup> *Liberi* hi quorumcunque jurium in republica participes fieri possunt: *servi* vero, neglecta in iis prorsus dignitate naturæ humanæ, quoad acquisitionem eorum & dispositionem de illis, *rerum instar* habentur, & pro *nullis*, quod attinet ad jus civile, non tamen & jure naturali. <sup>17)</sup> *Liberorum varia conditio* est:

12) de hac potissimum legislationis parte contendi debet, quod de legibus ad statum populi accommodandis dicit *MONTESQUIEU de l'esprit des Lois*, L. I. c. III. „les lois doivent être tellement propres au peuple, pour le quel elles sont faites, que c'est un très-grand hazard, si celles d'une nation peuvent convenir à une autre.

13) I. 3. D. de stat. hom. 14) I. cit. I. 1. §. 1. D. de his qui sui vel al. iur.

15) I. 4. D. de stat. hom. 16) I. 4. §. 1. eod. 17) I. 32. D. de R.J.

Adeo pro nullis habentur, ut, qui servum alienum injuria occidisset, non alia poena, quam legis *Aquilae* de damno injuria dato teneretur; perinde ac si *quadrupedem* occidisset. I. 2. D. ad Leg. Aquil. cf. *PLINIUS lib. 8. epist. 15.* „nec ignoro, alios hujusmodi caefus nini amplius vocare quam *damnum.*”

alii enim sunt ex matre libera nati, alii ex justa servitute manu-  
missi; *ingenui* illi, hi *libertini* dicuntur; uterque aut *sui juris* est,  
aut *alieni*, paterfamilias aut filiusfamilias.<sup>18)</sup> Hi vero id pro-  
prium habent, ut obligationibus quibusdam *patrono* teneantur.  
Servos alieni juris esse<sup>19)</sup> moneri vix decet.

Porro, aut *cives* sunt homines aut *peregrini*, secundum jus ro-  
manum. *Illi* membra civitatis romanæ, jurisque proprii inde red-  
undantis sunt particeps; *hi*, extra illam viventes, jure isto non  
utuntur, at in communione juris tantummodo *naturalis* sunt.  
*Denique*, non omittenda est illa inter homines à natura posita dif-  
ferentia inter *sexum* potiorem & sequiorem, masculinum & femini-  
num: quippe quæ quidem è regula,<sup>20)</sup> nullam superinducit juris  
differentiam: eo solum excepto, quod *posteriori* ob verecundiam  
sexui propriam officia *virilia* fuerint *negata*<sup>21)</sup>; ob fragilitatem  
vero *privilegia* quædam *concessa*.<sup>22)</sup>

### §. IX.

#### *Status compositi. Domesticus.*

Hi quidem sunt status, qui, nullo antecedente privatorum  
pacto profiscuntur è *legibus*, ac proinde, quia hominibus nullo ar-  
ctiori quam illo communis civitatis vinculo conjunctis adhærent,  
*simplices* mihi dicuntur: quo aptius distinguantur ab illo, qui,  
nonnisi prævia plurium privatorum conjunctione existere potest,  
*status composito*: scilicet illo *domestico*. Hujus fundamentum est sta-

18) l. 4. D. de his qui *sui* vel al. *jur.* 19) l. 1. §. 1. D. eod. *Dissimilitudine*  
inter homines *sui* vel alieni juris non è jure civili descendere mihi  
videtur: leges enim tacent, & potestas patria juris *naturalis* est. vid.  
celeberr. *HOFACKER* in *princ. jur. civ. rom.* Tom. I. §. 268.

20) d. 1. D. de V. S. 21) l. 2. D. de Reg. Jur. 22) tit. D.  
& C. ad Sc. *Vellej.*



status *conjugum*, qui è conjugione maris & feminæ, liberorum procreandorum causa inita, individuam vitæ consuetudinem continente, <sup>23)</sup> i. e. *matrimonio* oritur.

### §. X.

#### *Matrimonium ineundi libertas restricta.*

Initur matrimonium, jure romano *noviori*, solo consensu quoquo modo interposito. Quum igitur ex principiis de contractibus pendeat doctrina de matrimonio ineundo; eadem hic libertatis naturalis restrictiones locum habeant, quæ in illam de contractibus sunt introductæ, quas suo loco afferendas censeo. Id solum judicis causa, qui in republica est, institutum fuit, instituique debuit, ut signa quædam initi matrimonii ederentur, inque eo ineundo quædam solemnitates observarentur, quibus, quid actum fuisset, cognosceretur: quales sunt *deductio in domum, instrumenta dotalitia.* <sup>24)</sup> Adhuc alios limites huicce contractui ponî, è republica esse visum est Romanis. Ita libertas cum quovis homine matrimonium ineundi restricta est: partim ob *sanguinis nexum* verum & fictum, ut pudicitia inter familiares salva maneat: unde *gradus prohibiti „pudor inspiciendus est”;* <sup>25)</sup> & matrimonium cum adoptata vetitum <sup>26)</sup>; partim ut *crimina evitentur*, idque *immediate*: unde nuptiæ tutoris cum pupilla ante redditas rationes, <sup>27)</sup> & præsidis provinciæ cum femina ex eadem provincia, vetitæ fuerunt <sup>28)</sup>; immo vero etiam *mediate*, spem optata commoda è delicto captandi refescendo: matrimonium inter adulteros <sup>29)</sup>, inter raptorem & raptam <sup>30)</sup>. Deinde, ne communi-

23) §. 1. J. de patr. pot. cf. HOFACKER elem. jur. civ. rom. §. 123. n. a).

24) I. pen. D. de donat. int. V. & uxor. I. 22. C. de nupt.

25) I. 14. §. 2. D. de ritu nupt. §. 1. J. de nupt. 26) I. 55. D. eod.

27) I. 59. 67. §. 3. D. eod. 28) I. 38. 63. D. eod. 29) I. 13. D. de his qui ut indign. 30) I. un. §. 1. C. de rapt. virg., nec sit facultas &c.”

centur jura, quæ cuique vi status sui competunt: prohibitum fuit matrimonium inter civem & peregrinam <sup>31)</sup>, inter civem & servam <sup>32)</sup>, Christianum ac Judeam <sup>33)</sup>. Denique, ut modus esset in explenda libidine, binas uxores habere non licuit <sup>34)</sup>; eam enim rationem esse legis hujus prohibitivæ, ex „*infamia, qua hujusmodi viri notati sunt,*” apparere mihi videtur. <sup>35)</sup>

31) ULPIANI fragm. tit. V. §. 4.

32) l. 3. C. de inc. nupt.

33) l. 6. C. de Judæis.

34) §. 6. I. de nupt. L. 2. C. de inc. & inut. nupt.

35) Cum ex polygamia nemini libertas offendatur, neque illa ineuntium ipsorum, quippe qui libera voluntate contrahunt; neque illa quorumvis aliorum: iure *naturali* permisa esse videtur. Ita etiam Romanos de illa sensisse, è formula legis concludo: „neminem, qui sub *ditione sit romani nominis, binas uxores habere posse.*” KANTIUS quidem eam propter æquitatem inter maritum & plures ipsius uxores interceptam & sublatam, juri naturali repugnantem pronunciat. vid. *Metaphysische Anfangsgründe der Rechtslehre von Immanuel Kant.* 1797. §§. 25. 26. ubi hæc leguntur: der natürliche Gebrauch, den ein Geschlecht von den Geschlechtsorganen des Andern macht, ist ein *Genuss*, zu dem sich ein Theil dem Andern hingibt. In diesem Act macht sich ein Mensch selbst zur *Sache*, welches dem Rechte der Menschheit an seiner eigenen Person widerstreitet. Nur unter der *einzigsten* Bedingung ist dieses möglich, das in dem die eine Person von der andern, *gleich als Sache* erworben wird, diese gegenseitig wiederum jene erwerbe; denn so gewinnt sie wiederum sich selbst, und stellt ihre Persönlichkeit wieder her.”

„Das Verhältnis der Verehlichten ist also ein Verhältnis der *Gleichheit* des Besitzes - - der Personen, die einander wechselseitig besitzen: (folglich nur in *Monogamie*). Denn in einer Polygamie gewinnt die Person, die sich weggiebt, nur *einen Theil* desjenigen, dem sie ganz anheimfällt, und macht sich also zur *blosen Sache*. — „Verum enim vero veritas decisionis ac doctrinae hujus Kantianæ nützt *duplici* hypothesi: *altera*, hominis dignitatem ex perfruitione sui alteri concessa amitti, quamvis hoc prorsus fieri nequeat, nisi hic quoque vicissim alteri perfruitionem sui concederit: *altera*, hominis dignitatem ita amissam non prius *restitui*, quam altera parte prorsus *idem aequaliter* concedente; quamvis contrarium & inæqualitas perfruitionis vicissim ex parte mariti concessæ definita fuerit cum *libero uxoris consensu* de cuius utriusque hypotheseos fundamento videant alii.



## §. XI.

*Patria potestas.*

Progerminant vero ex hocce statu conjugali jura, cum *personalia*, tum *realia*. Ad illa pertinet *potestas mariti domesticæ* ad finem conjunctionis asequendum, à natura & jure naturæ illi tributa; cum in *uxorem*, quæ ad reverentiam & obsequium tenetur<sup>36)</sup>, tum in *liberos*: quippe quæ potestas patria, è jure educandi illos emanans, medicamque castigationem continens, utrique quidem parenti è jure naturæ, patri vero *soli* è jure romano competit. Sed additum est huic tam multum, jure romano, ut recte dicat JUSTINIANUS: „*jus potestatis, quod in liberos habemus, proprium est civium Romanorum: nulli enim alii sunt homines, qui talem in liberos habeant potestatem, qualem nos habemus.*”<sup>37)</sup> Antiquata quidem fuere ista veteris juris de patria potestate principia, quæ *ius vitae necisque*, &  *vendendi liberos*, & quæ sunt alia, in agrestes inhumanorum patrum manus tradiderant.<sup>38)</sup> Eo vero non obstante, ex valde arbitrariis principiis de vi potestatis in eum, qui alteri subjectus est,

36) l. 14. §. 1. D. de sol. matr. l. un. §. 7. C. de rei ux. act.

37) §. 2. J. de patr. pot.

38) Hasce leges, quarum crudelitatem usus etiam docuerat, non solum genio seculi istius convenientes, sed generaliter necessarias arbitratus est DIONYSIUS HALICARN. Ille enim post recentitas *Graecorum* leges multo liberalius liberos tractantes, mox addit: *Eἰσὶ δὲ οὐκ εἰκανοὶ πατρισχεῖν ἄνθρωπος, καὶ σύμβολον τρίποντος, ἀδειότερος αὐτῷ φέρειν ἀγαγεῖν τὸν ἡμετέρον τῶν καλῶν αἱ μαλακοὶ τεμορίαι.* Τοιγάρτος πάθεια ἐν Ἑλλάσιν εἰς πατέρας ὑπὸ τέκνων ἀχρηστεῖται. „Quæ non sufficient ad compescendam juventutis vefaniam moresque pervicaces; neque contemptores honestatis levi brachio posunt ad modestiam redigi. Quapropter apud Graecos saepè indecora multa in parentes committunt liberi.,, Quibus deinde subiungit duriores illas Romanorum. leges de infinita potestate Patris in liberos. vid. DIONYSII HALICARN. scripta &c. Lipsiae fol. 1691. Antiquit. Rom. L. II. n. 30. p. 96.

& ope *filiationis* alicujus id effectum est, ut nullum pene statum & caput civile haberet filius familias, illudque tantum non omne absorberetur à patre. Ita vi illius nihil sibi acquirere potest filius; <sup>39)</sup> vi hujus, qua „*E natura pater & filius pane eadem esse persona intelliguntur*“ <sup>40)</sup>, conventionem inter se inire, <sup>41)</sup> in judicium se invicem vocare nequeunt <sup>42)</sup>: litis contestatio scilicet pacto nititur. <sup>43)</sup> Injuriarum vero actionem non minus ob reverentiam patri debitam filio negari arbitrор, quia & filio emancipato non temerè eam dari volunt leges. <sup>44)</sup> Licet mutua esse hæc jura ex unitate personarum nascentia, è conceptione legum recte conculseris: melior tamen est conditio patris, qui, neglecta forma processus, ex sua sententia puniendum filium judici offerendi habet facultatem. <sup>45)</sup>

### §. XII. *Continuatio.*

Prorsus vero mutua sunt jura, mutuæque obligationes ex leibus impositæ, ne se conveniant ultra, „*quam facere possunt*“ <sup>46)</sup> beneficium scilicet *competentia*, & obligatio *præstandorum alimenterorum*. Hæc obligatio parentum cum cesseret jure naturali è tempore emancipationis, & liberorum obligationes morales tantum sint, non juridicæ: <sup>47)</sup> egregie & singulari modo addiderunt juri

39) l. 10. D. de *acqu. rer. dom.* l. 79. D. de *acqu. vel omitt. hered.*

40) l. 11. C. de *imp. & al. subst.* 41) §. 6. J. de *inut. stipul.*

42) l. 4. II. D. de *judiciis.* 43) l. 3. §. II. D. de *peculio.* l. 16. D. de *furtis*, quod non magis cum his, quos in potestate habemus, quam nobiscum ipsis agere possumus. 44) l. 7. §. 3. D. de *injuriis.*

45) l. 3. C. de *patr. pot.* 46) l. 7. §. 1. D. de *objeq. à liberis & libertis.*

47) cf. KANT in f. metaphysischen Anfangsgründen der Rechtslehre §. 29. si quidem non eadem principia de fine patriæ potestatis officiorumque inde oriundorum Romanos habuisse, probari posse, quæ nos habemus: id tamen constat, omnem familie nexum æctiorem solutum fuisse emancipatione; ergo etiam jura & officia inde sequentia cessasse.

naturali juris romani conditores, officia illa imperfecta jure co-gendi muniendo. Parentes enim liberos etiam emancipatos, & hi parentes suos inopes alere tenentur, quod etiam de ascenden-tibus valet, „quia ex aequitate haec res descendat, caritateque san-guinis..“<sup>48)</sup> — „Iniquissimum enim quis meritum dixerit, patrem ege-re, cum filius sit in facultatibus..“<sup>49)</sup>

## §. XIII.

## Continuatio.

Patria haec potestas præter naturalem modum & passo, ad-optione scilicet, acquiritur. Sed jura inde nascentia, quæ jure na-turæ ex arbitrio pacientium pendent, certa, & prout ab extra-neo, aut ascendente pactum ineatur, diversa, instituit jus romanum.<sup>50)</sup>.

## §. XIV.

## T u t e l a.

Potestati illi, quæ jure naturæ morte & liberis veri perspi-cientiam, cultiorisque rationis usum nactis, cessat<sup>51)</sup>, nullus ju-re romano præscriptus est terminus, quo finiatur. Cessavit igitur illa eodem modo, quo omne rei familiaris vinculum jure isto sol-vi placuit: morte nimium & libero patris liberorumque arbitrio, scilicet emancipatione, „nisi infantes sint, qui & sine consensu etiam

48) I. 5. §. 1. 2. D. de agnosc. vel al. liberis.

49) I. 5. §. 13. D. de agn. & alend. liber. Ita ferè explicandus mihi vide-tur ULPIANUS I. 10. §. 1. D. de justit. & iure, rō honestè vivere tan-quam summum juris principium ponens: cf. WEBER VON DER NATÜRLICHEN Verbindlichkeit &c. Altera hac de lege sentit KANTIUS in den meta-physischen Anfangsgründen der Rechtslehre p. 47. Ceterum magni habenda est legislatio, cui quantum fines illius permittunt, sensum moralem civium excolare curae est.

50) §. 2. J. de adopt.

51) Ad hunc enim perducendi finis est & ratio illius.

hoc modo sui juris efficiuntur., 52) Hoc vero emancipationis actu consecuti sunt, quo haftenus destituti erant, statum civilem, atque, nulla jam alia interveniente potestate, proxime cum republica conjuncti. At quia non morte solum, sed etiam emancipatione, ob *nimiris* fortasse liberum parentum arbitrium, cujusque ætatis liberi sui juris fieri potuerunt; ac proinde & infantes: eorum, qui ob ætatis imbecillitatem rebus suis gerendis erant impares, eo diligentius respublica, cuius est jura civium tueri, rationem habere debuit. Quo vero cognosci possit, sine singulari cujusque examine, status ejusmodi emancipatorum; illum ætate metiendum censuere juris conditores: unde, *divisiones* istæ ætatis, naturali juri incognitæ, in *infantiam*, *pueritiamque*, *pubertatem* atque *ætam majorem* ortæ sunt. Quemadmodum omnino, in implendis officiis suis, civibus ut *ministris* utitur respublica, ita & hanc curam suscipiendam illis imposuit: unde prodiit *tutela*, quæ est „*vis ac potestas in capite libero, ad tuendum eum, qui propter ætam suam sponte se defendere nequit, jure civili delata ac permissa.*„ 53) Ita tutela naturali juri incognita è communi hominum in republica conjunctorum voluntate, non poterat non oriri; atque ita ortam esse apud Romanos, partim ex notione illius modo allata, partim ex juris regulis circa illam constitutis appareat. Dicitur enim tutela *munus civile* atque *publicum*, 54) ad quod suscipiendum *quilibet cogi* potest, nisi *justas causas* afferat, quibus *se exceptet*. 55)

52) l. 5. C. de *Emanc.* §. 7. J. quib. mod. patr. pot. tollitur.

53) L. 1. ff. de *tutel.* 54) l. 1. C. quando mulier tut. offic. fung. l. 16. & ult. ff. de *tutelis.* 55) Princ. J. de *Excusationibus.*

## §. XV.

## Jus dotium.

Hæc sunt jura *personalia*, quæ, saltē quoad substantiam suam, ē statu conjugali nunc parentibus nunc liberis nascuntur. *Reale* supereſt, jus ſcilicet *dotium*. Quæ uxor ad uſtinenda one-ra matrimonii de ſuo confert, eorum domina illa omnino ſecundum principia juris naturalis manet. Nam id ſolum agit, ut maritum adjuvet: quod fieri potest, ei nonniſi jure personali in uxorem confeſſo; neque etiam mariti illud imperium res uxorū, ſed ſolum perfonam afficit. Pro libitu igitur administrandi illas *uxor* ipſa facultatem habet, dummodo finem, cujus cauſa illatæ ſunt, non neglexerit.

Enimvero, ſi vel diſceſſeris ab eo, quod vix mulieres prudētia illa, qua ad rite administranda bona opus eſt, ſint iſtructæ, & quod illa certius fini illi aſſequendo iſerviant, ſi eodem cum bonis mariti confilio adminiſtrentur: adhuc alia ſuperſunt, atque ex uxore, opum *domina*, augurari licet, quæ inde evenerint ac matrimonium infestaverint ejusque rei familiarē. Præſtat igitur ea, quæ ex dominio ſequuntur, liberè de bonis diſponendi jura adimi uxorū, tradique marito; modo res ita iſtituitur, limitesque *tales* ponantur, ne quid detrimenti res uxorū capiat. Idem ſtatuerū Romani. Scilicet hi, dominio dotis apud uxorem relitto, effectus illius ci-viles, jus diſponendi de illa, eamque administrandi marito tribuerū; <sup>56)</sup> integrati vero illius eo prospexere, quod ad reddendam illam ſoluto matrimonio <sup>57)</sup> aut æſtimationem ſolvendam, <sup>58)</sup> dolum culpamque præſtandam maritus teneretur; <sup>59)</sup> quod uxorū

<sup>56)</sup> l. 30. D. de jure dotium.

<sup>58)</sup> l. 10. D. eod.

<sup>57)</sup> l. 7. §. 1. D. de jure dot.

<sup>59)</sup> l. 25. §. 1. D. ſolut. matrim.

exorto concursu inter potiores satis fieret, & alienatio fundi domalis marito prohiberetur.<sup>60)</sup> Dominium uxoris *naturale* vocatur, mariti *civile*: illud, durante matrimonio inefficax, soluto illo revivisit.

### §. XVI.

#### *T r a n s i t u s.*

Absoluta ea parte juris romani, quæ jus *personarum* dicitur, perspectisque illis, quas tam quoad fundamentum hujus doctrinæ, sc. definitionem statuum civium, quam quoad juris regulas de illis statutas, modo arbitrarias plane, modo ob conjunctionem in republica necessarias, immutationes expertum est jus naturæ: ad alteram partem juris civilis romani, ad jus *rerum*, quod Doctores vocant, transeamus.<sup>61)</sup>

### §. XVII.

#### *Jus Rerum. Definitio.*

Juris rerum in *legibus* nulla occurrit definitio; igitur elicienda est ex iis, quæ traduntur libro juris allegato. Inde vero *hæc* prodire mihi videtur notio illius: *jus rerum est complexus legum, quibus juris relatio civium inter se, & eorundem cum republica, intuitu rerum, definitur.*

Relationem civium *inter se* dico, quia omne jus in re relationem cum *omnibus hominibus* inducit, non relationem cum *re.* In rem enim non cadit juris notio, quippe ratione destitutam,

60) l. un. §. 15. C. de *rei ux.* act.

61) pr. J. de *rer. div.* „*Superiore libro de jure personarum exposui-* mus: modo videamus de *rebus.*“ — Quem locum ego juri personarum in systemate juris tribuendum existimem, è deductione illius, quam supra dedi, apparebit.



sine qua jus cogitari nequit.<sup>62)</sup> Relationem reipublicæ cum *civibus* dixi, quia, ut mox apparebit, etiam rerum *publicarum*, *univeritatis &c.* mentio sit. In eadem vero juris parte etiam de *obligationibus* agitur.<sup>63)</sup> At jura (ex *contractu* oriunda) ex *naturalis* & *romani* juris principiis *rebus* accensentur. Sub altiore notione igitur contenta proprium divisionis membrum non efficiunt.<sup>64)</sup>

### §. XVIII.

#### *Rerum divisio.*

*Rerum* vero, de quibus nunc videndum est, *ontologice* consideratarum, ea est *natura*, ut aut *corporales* sint, aut *incorporales*, aut tangi possint, aut non possint. Ad has posteriores referuntur, quæ in *jure* consistunt.<sup>65)</sup> *Juridice* autem consideratæ secundum jus *naturæ* aut *nullius* sunt, aut in *dominio* alicujus. Non per se, sed nonnisi ex hac conditione vim suam accipiunt res, quæ incapaces ad proprium finem properandi, solum *nostris finibus* assequendis inservire possunt. — At *res publica* terrarum cuiusdam partis potita, omnem illius ambitum, & quicquid ibi continetur, dominio suo amplectitur: id quod deinde pro natura rerum partim sibi retinet, partim *civibus* tradit. Enimvero hoc facto *non amplius* dantur res *nullius*, sed omnis res est aut in

62) KANTIUS in den metaph. Anfangsgründen der Rechtslehre. §. II.

63) §. 6. J. de *u/n & habitat.*

64) Longius deducere hanc definitionem instituti ratio, & libelli fines non permittunt. Addere tamen licet, quod nimis vaga notio juris rerum fit, quam THIBAUT nuper attulit in libro ingeniose ceterum & eleganter scripto: *De genuina juris personarum, & rerum indole, veroque hujus divisionis pretio.* Kilon. 1796. 8. „ex mente jurisconsultorum Romanorum, ait, juris rerum scopum præcipue in ipsis juribus obligatiisque explicandis versari.“ p. 116. Deesse mihi videtur, quo à jure personarum jus rerum distinguas.

65) tit. J. de *reb., corp. & incorp.*

dominio reipublicæ , aut civium : sive deinde tales personæ privatæ fuerint personæ mysticæ , sive physicæ . Propior definitio à forma civitatis , & ab arbitrio pendet . Ita Romani juris conditores rerum quarundam dominii impatientium usum omnibus hominibus communem reliquere : utpote , cœris , aquæ profluentis , maris , litorumque illius , quatenus jus tertii inde non violatur ; <sup>66)</sup> alias , juris gentium principia secuti , <sup>67)</sup> publicas <sup>68)</sup> esse voluerunt , easque populi romani , ita , ut nunc , proprietate apud populum manente , usus singulis civibus competeteret ; ut , fluminum , portuumque : <sup>69)</sup> nunc , proprietate singulis civibus tradita , usus solus populo competenteret ; ut , riparum . <sup>70)</sup> Hæc quidem ad universum populum pertinent ; at vero etiam est distributus ille , partim natura ex gente , partim majoris facilitatis in exercendis Imperii juribus consequendæ caufa , in societas minores , quæ universtatis dicuntur , & , quæ tales , jurium acquirendorum capaces sunt . Res , quæ harum in dominio sunt , res universtatis dicuntur , quibus utendi vero jus singulis civibus tribuitur ; quo pertinent , theatra & gladia . <sup>71)</sup> Juri naturali has definitiones additas esse , nec nisi in republica cogitari posse , per se patet .

### §. XIX.

#### *Res nullius.*

Neque vero juri romano prorsus defunt *res nullius* . Modo illis subest alius plane sensus , quam ille juris naturalis . Romano etenim jure hujus nominis res sunt , quas quidem voluere Romanis in dominio populi proprie constitutas , at *Diis rite consecratas*

66) I. 14. D. de acqui. rer. dom. §. 1. J. de rer. div.

67) §. 4. J. de rer. div. 68) I. 15. D. de verb. signif.

69) §. 2. J. de rer. div. 70) §. 4. J. eod. 71) §. 6. J. de R. D.



eaque proinde e *commercio* *exemtas*; veluti, *aedes sacræ*, & quæ sunt alia hujus generis.<sup>72)</sup> Denique res sunt in dominio *singulorum*.<sup>73)</sup>

### §. XX.

#### *D o m i n i u m.*

*Dominii* jura pariter ac nostrates juris naturalis Doctores definiunt juris romani autores. *Plenam in re potestatem*<sup>74)</sup>, jus pro arbitrio de ea disponendi<sup>75)</sup>, fructusque illius percipiendi, vel expressis verbis illud dicunt, vel illis dominium esse, in aprico est.<sup>76)</sup>

72) §. 8. J. eod.

73) pr. J. eod.

74) §. ult. J. de *usufr.*

75) l. 21. C. *mandati*.

76) *Domini notionem* afferentes plerumque in allegandis juribus, in dominio contentis, acquiescunt; ut *jure disponendi de substantia*, re *exclusis aliis utendi*. *Inesse* talia dominio, dubium non est: at quo *fundamenta* nitantur, non apparet ex his definitionibus. Vires meæ ad *re meum* pertinet; quicquid his viribus meis efficio, æque *meum* est. Si enim alterius est, (me non consentiente) *dignitas mei*, ut *hominis*, ledetur. Itaque, *quicquid viribus meis factum* progeneratumque fuit, *meum* est. Inde *demum* fluit jus, quemcumque tertium ab usu rei meæ excludendi, plenissimeque de re disponendi. Constat vero huic definitioni sua veritas, quemcumque dein acquirendi modum cogitaveris: — five rerum nullius occupationem five, (vid. *Beiträge zur Berichtigung der Urtheile über die franzöfische Revolution*) formationem rerum, quæ sunt in dominio alterius, quas nomini pacto nobis ab illo acquirere possumus. Enimvero id ipsum five gratuito five modo onerofo fuerit factum, res illas non alter nisi per usum virium mearum adquisivi, aut per aliquid, quod usu virium mearum meum factum est: *jam*, jure meo voluntatem alterius in favorem mei flectendo, & acceptatione rei traditæ; *jam*, præstatione meæ five pecunia s. opere. Cæterum istam *domini notionem* opèro examini novissimè subjicit Cel. DABELOVIUS in *Versuch einer richtigeren Theorie der Lehren von den Lehens-Schulden &c.* Erste Abtheilung, Halle 1797. 4. cuius ampliorem recensum dedit Nene allgemeine deutsche Biblioth. B. XXXIV. St. I. 1797. p. 3. & seqq.

## §. XXI.

*Contractus Emphytheusios.*

Dominus vii juris illius, disponendi de suo, alienare potest quosdam dominii effectus, aut omnes retinere: unde dicitur aut plenum, aut minus plenum dominium habere. Et hoc casu substantia, s. objectum juris, in ipsis potestate atque possessione manet; neque, qui usum effectuum istorum dominii sibi acquisivit a domino, recte jus in rei substantiam sibi acquisivit, aut ullam dominii speciem sed jus tantummodo personale in dominum. Hic igitur solus est dominus, atque recte ita vocatur; non ille, qui ususfructarius dici saepe potest. At apud Romanos alias adhuc dominii usus cognitus erat. Dominus quippe non solum usumfructum rei alteri concessit, sed & rem ipsam, quae in dominio suo erat, eidem tradidit, ut disponere de illa, faciem illius mutare, & sub certis limitibus alienare illam posset. *Contractu emphyteuticario id factum esse, vix est, quod moneam.* Reale jus in bono emphyteutico emphyteutae competere apparet: <sup>77)</sup> „placuit competere eis (qui in perpetuum fundum frumentum conducterunt a municipiis) in rem actionem in quemvis possessorem: „ & dominum eundem vocatum esse <sup>78)</sup>: „licentia eis concedenda, etiam libertates mancipioris ex fundis patrimonialibus atque emphyteuticariis, cum fundorum sint domini, praestare.“ Atqui dominus, abs quo ille jus suum accepit, non desinit esse dominus: <sup>79)</sup> „quamvis (emphyteutae) domini non efficiantur, — & fundum, licet per emphyteutam alienatus e manu in manum veniat, semper dominii sui vinculo habet adstrictum. — Condomini vero non sunt; jura enim

77) ex l. i. §. i. D. si ager vestig. pet.

78) ex l. i. 2. Cod. de fund. patrim. D. si ager vestig. — docet.

79) quod & ipsum all. l. i. §. i.



eorum non sunt æqualia. Necessario igitur sequitur, Romanos *dominium*, quatenus fundamentum est jurium inde nascentium, ab *exercitio* istorum separasse, tanquam rationale à corporali, invisibile à visibili. *Nominibus* singularibus hæc dominorum jura legibus non definita sunt; *Dotoribus* autem *directum* illud, hoc utile appellare placuit: fortasse, quia illud directam, hoc utilem *actionem* gignit. Dominum & jure *naturali* de dominio suo ita disponere posse, æque non dubium est, ac certum, originem emphyteuseos, in consuetudine civitatis positam esse, agros in cultos privatis colendos tradendi; qui proinde à republica peti debuerunt.

### §. XXII.

#### *S e r v i t u s.*

Duo adhuc in jure romano supersunt jura *realia*, è *servitutibus* unum, alterum è *pignoris* jure ortum. De imminuenda libertate mea in percipiendis commodis è dominio oriundis, cum altero in ipsius commodum pacisci, jure naturali omnino possumus; inde *personale* jus, ut fieri solet in contractibus, alteri acquiritur. At *Romani*, omnem libertatis personalis imminutionem, quam maxime aversantes, in *servitute* constituenda, relationem non tam *dominorum* prædii utriusque, quam *prædiorum* potius *iporum* inter se esse voluerunt. Quamobrem prædium prædio servire,<sup>80)</sup> nec quicquam à domino prædii servientis præstari, placuit:<sup>81)</sup> neque inservire debebat prædium *voluptati domini* prædii dominantis, sed solum *utilitati prædii*.<sup>82)</sup> Dominus prædii servientis, constituta servitute, inde *recessit*, ut ita dicam, & prædii usum alteri tradidit, ferè

80) l. 15. pr. D. de *jeru.*

82) l. 8. D. de *jeru.*

81) l. 28. D. de *jeru. praed. urb.*

ut quadrupes, quæ pauperiem fecit, noxæ dari solita est. Necesario, ut mihi videtur, ex hisce principiis secutum est, jus reale domino servitutis in prædio tribui debere.<sup>83)</sup> Cui accedit, quod, si jus *personale* in dominum prædii servientis concessum fuerit; ad istum nimis sœpe recurrentum fuisse à domino servitutis, in exercitio juris sui impedito, & agendum contra eum, qui non deliquerat.

### §. XXIII.

#### *Contr. pignoratitius.*

Alterum jus reale est, jus è *contraſtu pignoratitio* ortum. Debitor, creditori pignus constituendo, id agit, ut isti securitatem præstet ratione debiti; eam vero nonnisi *contraſtu* præstari posse, nemo inficiabitur. Jure vero hocce *personalī* ex contractu orto, creditori illa securitas non admodum tute præstaretur, atque comode; tutius quidem in rebus immobilibus oppignoratis, præser-tim magistratu intercedente. Verum enimvero eædem heic rationes recurrent, quas in doctrina de servitutibus exposuimus, in constituendo suo jure, direxisse Romanos. In rebus autem mobili-bus oppignoratis nil est, quo potius sit jus pignoris *nuda promis-ſione*. Ab arbitrio enim negligentiaque debitoris bona sua dilapi-dantis aut interire patientis nimis penderet creditor. Quo magis autem iste contractus commercia civium inter se adjuvando inser-vit; eo majorem in modum debebat legislator, cuius est, civium commercia adjuvare, inter contractus *reales*, qui à *traditione* incipiunt, & illum contractum referre. Traditio vero jus reale gignit, quo contra quemque juris sui violatorem experiri potest creditor.<sup>84)</sup>

83) L. 10. §. 1. ff. de *ſi ſerv. vind.*

84) L. 14. C. de *pign.*



## §. XXIV.

*Rerum dominium adquirendi modus.*

Naturalibus dominium acquirendi modis, per *occupationem*, *formationem* aut *specificationem*, quæ in altiori notione usus virium mearum coalescunt, addidit alios jus civile Romanum: *partim*, ex sua ipsius mente, *civiles*; *partim*, quos *juri gentium* convenire arbitrati sunt legislatores. Commodius visum est JUSTINIANO à vestigiore jure (naturali) incipere in explicandis dominium acquirendi modis<sup>85)</sup>: nobis igitur, methodum hanc sequentibus, ab *occupatione* explicanda ordiendum est.

## §. XXV.

*Modi dominium acquirendi naturales.*

Prorsus ignorantes jura *regalia*, quibus explicandis exercendisque tam diligenter hodie invigilatur, *justo* fortasse *plus naturali libertati* tribuere Romani. Nam *feræ* vel in *alieno* fundo occupatæ primo occupanti cessere<sup>86)</sup>; pariter, qui in littore *lapilli gemmæque* reperiuntur<sup>87)</sup>: quæ principia cum *pacis tempore* inter *cives* valeant, tanto magis eadem inter *gentes*, quæ in statu naturali sunt inter se invicem, *belli tempore* normam præbeant, necesse est; <sup>88)</sup> licet de rebus nullius hic non agatur. Rerum, quæ erant in dominio alterius, isto consentiente dominium acquirendi modum naturalem *traditionem* esse, jure existimaverunt Romani,<sup>89)</sup> cum è *contratu* nonnisi jus *personale* oriatur. Verumtamen non eodem jure *fructuum perceptionem* à bonæ fidei possessore factam *huc retulisse* mihi videntur juris autores.<sup>90)</sup> Nam seu bona seu

85) §. 11. J. de R. D.

88) §. 17. J. eod.

86) §. 12. J. eod.

89) §. 40. J. de R. D.

87) §. 18. J. eod.

90) §. 35. J. eod.

mala fide lœdat alter, nil refert in jure naturæ, quo externa solum, non interna spectantur: ut omittam, quod signa satis certa ad cognoscendam illam fidem defint.<sup>91)</sup> Denique & *acceſſionem* his modis annumerat jus romanum, tam *naturalem*<sup>92)</sup> quam *artiſticiam*<sup>93)</sup>, & illam lato ſequacē ac ſtricto ſenſu acceptam. Latiori ſenſu ſub accessione etiam id, quod ex re noſtra provenit<sup>94)</sup> & *cauſa*<sup>95)</sup> dicitur, comprehendī folet: ſtrictiori vero ſenſu id tantummodo, quod extrinſecus cum re noſtra conjungitur<sup>96)</sup> & accessione proprie appellatur. Illa accessione lato ſenſu accepted, ſine dubio jure naturali acquirimus dominium, quia fructus, ſeu iſti naturales ſeu industriales ſint, opera tamen viriumque noſtrarum uſu provenere: id quod ſub formula accessionis ſtricte ſic dictæ jure *naturali* vindicari nequit. Sive enim res nullius rei meæ accedat, ſive res, quæ eſt in dominio alterius: veris de dominio acquirendo principiis repugnaret hic modus. *Voluntas* enim in acquirendo dominio interveniat, neceſſe eſt<sup>97)</sup>. *Physica* enim ſacta nullam in *notiones morales* vim habent: quam vero haberent, ſi res illa nullius, rei meæ accedendo, in dominium meum perveniret; res altera alteram acquireret. Idem valet de accessione *artiſtici*, qua vero, ſi ad priorem formam reduci poſſit materia, dominium non adquiritur.<sup>98)</sup> Quia separatio rei accessoriarum à re prin-

91) quod contra SCRIMALZ: das Recht der Natur 2te Aufl. §. 90. obſervo. Difcimen inter bonee & malaſ ſidei poſteſtorem ob doctrinam de præſcriptione induſtum eſt; hanc juris naturalis eſſe negat auctor citat. not. †, & quod inde ſequutum eſt, affirmat. 92) §. 20. J. de R. D.

93) §. 25. J. eod. ſq. 94) §. 19. J. eod. 95) I. o. §. 7. D. ad exhibutum l. 31. D. de reb. cred. 96) §. 20. J. de R. D.

97) „Der Mensch darf nicht anders gebraucht werden, als durch ſei- nen Willen.“. MELLIN Metaphysic der Rechte, oder der positiven Geſetzgebung. Zülichau 1796. 8. §. 20.

98) I. 24. I. 12. §. I. D. de acqu. rer. dom.

cipali, ususque domini illius plerumque sine damno hujus fieri non potest; eam ob causam hunc adquirendi modum sancire Romani: id quod ex limitatione accessioni artificiali modo adjecta colligere ausim. Aut igitur in origine hujus adquirendi modi *parum* sibi *confitere*, aut *naturæ* majorem vim tribuerunt quam *homini*.

## §. XXVI.

## C i v i l e s.

Expositis, quos naturales dicit jus romanum, dominium acquirendi modis; ad eos, quos jus *civile* introduxit, accedamus. Inter hos sunt alii, qui jure naturæ innituntur, ac saltim sunt jure positivo immutati: alii juri naturali prolsus incogniti sunt, ac mera legislatoris voluntate sanciti. Ad *priores* pertinet *donatio*, quæ est pactum de re mea gratis in alterum transferenda. Cum, promissione & acceptatione rite interpositis, efficiatur pacti validitas; omnino validum est id pactum jure naturali, cogendique promissorem jus gignit: neque vero opus est ad promissum extorquendum judicio publico præsumtionibus armato, ut KANTIUS contendere videtur, „*quia nemo suum jocare præsumatur*. „<sup>99)</sup> Forma enim sola, non materia in contractu spectatur; nihil igitur interest, utrum gratuitum, an onerolum pactum sit initum. At cum donatio sit pactum, ex quo etiam ex romani juris doctrina nonnisi *personalia* jura nascantur: cur inter modos juris realis acquirendi, referatur? &, cum sit juris *naturalis*, cur inter civiles referatur donatio? quæsitum est. De illo observandum est, sine traditione apud Romanos non substituisse donationem; illamque igitur ad essentiam ejus pertinuisse: <sup>100)</sup> quippe quo respectu non

<sup>99)</sup> vid. Metaphysische Anfangsgründe der Rechtslehre §. 37. (80)

<sup>100)</sup> I. 35. §. 5. C. de Donat.

¶ \* ¶

*pactum de transferendo, sed translatio gratuita definiri debet, & cum traditione coincidit: præter id, quod titulum proprium præse ferat. Quod vero ad donationem, ut *civilem* acquirendi modum attinet: eam istic adquirendi modis eapropter annumeralse mihi videntur juris auctores, quod naturam & consequentias donationis immutaverint, naturalemque in ineunda ista libertatem non parum circumscriperint, ita, ut deinde in *civitate* demum *nata* videretur. Quod enim vir magni nominis scribit: „*donationes olim non obligasse apud Romanos, sed postea obligationis vetustem à legibus accepisse:*“<sup>101)</sup> de pactis futurarum donationum dictum esse videtur; quod ipsum alias hac in re gravis auctor tradit<sup>102)</sup>: hanc igitur ob causam inter *civiles* modos relata non est. Enimvero gravem & naturam donationis sufficientem *immutationem* fecisse juris romani conditores, ex sequentibus patebit. Omnis contractus rite initus nonnisi mutuo consensu tollitur; romani vero legumlatores, non in tuendis juribus civium, *ut adulorum*, ut ita dicam, acquiescentes, sœpe patrisfamiliās instar, commodo filiorum *impuberum* prospiciunt, atque adjuvant supplementaque voluntatem, quam pacifcentem, ut non declaraverit, tamen in contrahendo habuisse verosimile est. Ita donationi cuique, cuius est vi legum ea natura, ut, quod datum fuit, *nullo casu ad dantem revertatur*,<sup>103)</sup> conditio à legibus fuit adjecta, ut revocari possit, si in eum casum inciderit donator, quem si prævidisset, non donaturus erat. Quales sunt *agnatio liberorum*,<sup>104)</sup> & *ingratitudo donatarii*: quam vero, ne astutus homo aut mollior nimis*

101) MEISTER in *selectis opusc.* art. de in factum actionibus. §. VI.

102) LANGSDORF tr. de *pactis & contr. Romanorum*, §. 52.

103) I. I. D. de *donat.*

104) I. 8. C. de *revoc. donat.*

sæpe revocandi causam inveniat, determinavere leges, inque periculo vita honoris illato posuere.<sup>105)</sup> Deinde, si donator, statum rei suæ familiaris parum cognitum habens, officia erga se (quæ non existere, eisdem nondum persuasum habeo) aut erga alios violaverit; nunc ipsi nunc his retinendi, quod plus justo est, aut revocandi per beneficium competentiae<sup>106)</sup> & querelam inofficiose donationis<sup>107)</sup> concessum est. Porro, ne „clandestinis ac domesticis fraudibus quidvis configatur, vel id quod jure gestum est, aboleatur”, tam in donantis quam in donatarii commodum, donationis contractui ineundo adjecta fuit limitatio, ut donatio, quæ 500 solidos excederit, nonnisi actis insinuata valeret<sup>108)</sup>). Denique, prorsus prohibitæ sunt donationes inter conjuges, quæ alterum locupletiorem, pauperiorem alterum redderent<sup>109)</sup>; ne mutuato amore invicem spoliarentur<sup>110)</sup>.

### §. XXVII.

#### Praefcriptio.

Ad modos dominium acquirendi mere civiles, juri scilicet naturali incognitos, pertinet jus per justam & legitimo tempore con-

105) l. fin. C. eod.

106) l. 19. §. 1. D. de re judic.

107) l. 9. C. de inoff. donat.

108) l. 27. C. de donat. l. 36. §. fin. eod. Hanc juris regulam utriusque pacientis causa constitutam esse, ex legis verbis „vel id, quod vere gestum est, aboleri” apparere mihi videtur; id quod preteritum est à Doctoribus. Mirum vero est, quod de ratione hujus legis, inter Doctores vix ac ne vix quidem constet: aliis, ut profusa in donando liberalitas coercentur; aliis, ut sincera donantis voluntas notescat, illam scriptam esse dictantibus; cum non id agat lex, ut donationes 500 solidos excedentes iniri yetet, sed actis solummodo infimari velit.

109) l. 5. §. 8. D. de donat. int. vir. & ux.

110) l. 1. 2. 3. D. eod.

tinuatam possessionem rei à non domino acquisitæ dominium acquirendi, s. usucapio. <sup>III</sup>)

### §. XXVIII.

#### *Jus hereditarium.*

Principalis denique modus, communi hominum in republica conjunctorum voluntate, natus est jus, bona defunctorum ex ipso-

- <sup>III</sup>) tit. J. de usucap. KANT in Metaphysischen Anfangsgründen der Rechtslehre, iuri *naturae* vindicare studet usucaptionem. §. 33 p. 131. A vi & natura possessionis pendere videtur omnis ejus doctrina, quam ita §. 1. p. 54. definit: „die subjektive Bedingung der Möglichkeit des Gebrauchs:“ mox vero illa declaratur tanquam *conditio*, fine qua dominum habere non possumus, & notio possessionis intelligibilis proponitur tanquam necessaria, ad rem externam propriam habendam, quia alias per rei nostrae usum alterius non iäderemur, (l. c. p. 56.) *Res* enim *nós* non adsciceret. Asleverat porro, hanc possessionem intelligibilem (Ein intelligibler Besitz ist ein Besitz ohne Inhabung, detentio) non adscriptam ad empiricas conditiones possessionis in tempore & spatio, quamvis ista interupta fuerit, continuari. Ex his autem omnibus rite subducto calculo apparet videtur, praescribere volentem, hoc ipso impediiri, quo solo KANTIUS, negleget licet per longum tempus usum, rei dominium servari contendit, scilicet iuriaico continuo servato actu possejorio. „Es kan also, ita enim scribit S. 132. nnr. ein rechtlicher und zwar sich continuirlich erhaltender und documentirter Besitz seyn, durch welchen er, bey einem Nichtgebrauch, sich das Seineichert.“ Denique, diuturnitas possessionis rem non mutat: diu enim & breviter sunt modi temporis; tempus vero est forma sensus nostri, que nullam in notiones morales vim habet. Argumentum autem, quod è contrario dicit K. p. 132. sq., si sc. possessio bona fidei non possessionem irrefragabilem fundaret, nullam acquisitionem peremptoriam, sed solam provisoriam fore; id solum docet, esse politiae legislatoriæ, jus per solam possessionem diuturnam acquirendi dominium constitui. Quicquid vero hac de re disputationem erit, eos tamen, è quorum mente nos loquimur, Romanos, praescriptionem tanquam iuri gentium non innixam eadem ferè ex ratione, ex qua KANTIUS juris naturalis eam esse dicit, in jus civile introduxit, ex l. x. D. de usurpat. & usuc. apret. Vid. Cel. GROS, *Geschichte der Verjährung nach röm. Recht.* Gött. 1795. qui breviter & acute ex relatione naturae jurium alienabilium ad prescriptionis notionem, originem hujus ex jure positivo vindicavit. P. 5.



rum *arbitrio* occupandi,<sup>112)</sup> jus scil. *hereditarium*. De bonis, quæ mortuo domino, in statu naturali *nullius*; in republica *reipublicæ* forent, ultra vitæ tempus disponendi, dominumque eis assignandi jus concessit *civibus* populus romanus. Quo vero perfectum esset id beneficium, neque morte aut hominum factis temere posset eludi; voluntatem civium non declaratam adjuvare debuit voluntas communis, & quo principio in eligendo herede, duci vi-

112) Ab omnibus jam relictas partes testamentorum, tanquam validorum secundum jus naturæ, suscepere denuo cum MELLIN in Metaph. d. Rechte &c. §. 287. S. 144—147. qui, per comparationem mortui cum *projecto è civitate*, iura nostra post mortem nostram non cessare, (frustra) comprobare studuit; cetera quæ affert, non nova sunt: tūm Cel. KANTIUS, Rechtslehre. §. 34 p. 134—136. „Der Erblasser Caius verspricht und erklärt in seinem letzten Willen dem Titius, der nichts von jenem Versprechen weißt, seine Haabe soll im Sterbefall auf diesen übergehen, und bleibt also, so lange er lebt, alleiniger Eigenthümer derselben. Nun kann zwar durch den blofsen *einseitigen* Willen nichts auf den andern übergehen: . . . dieser aber erwirbt doch *still-schweigend* ein eigenthümliches Recht an der Verlassenschaft, als *ein Sachenrecht*, nämlich auschließlich sie zu acceptiren: daher diese in dem gedachten Zeitpunkt *hæreditas jacens* heißt“. — Aliter ac ex idea *patti* res decidi non potest; ex pacto vero non jus in re, sed jus *ad rem* acquiritur; ut KANTIUS ipse docet: Rechtslehre §. 20. „durch den Vertrag erwerbe ich das Versprechen eines andern, nicht das Versprochene“. *Tacite* acquiri non potest nullo facto nostro interveniente. *Praefatum* consensu nil valet in jure *naturali*. Si vero id tantum demonstrare vult KANTIUS, testamenta in statu civili *induci* mereri, ut ex nota S. 136. appetat; merito acquiescendum est in ejus sententia: & suave est, videre, gentem, quæ ideam legislationis tam præclare in effectum deduxit, ab *eadem* sententia in condendo jure civili egressam esse: quod patet ex l. 19. D. *qui testamenta facere poss.*, ubi servis, qui secundum l. 32. D. de Reg. *Sjur.* juris civilis quidem non participes, jure tamen *naturali* pro *nullis* habendi non sunt testandi facultas non conceditur; deinde, ex l. 6. pr.D. qui *test. fac. p.* „secundum quam filiusfamilias, licet pater ei permittat, testari non potest, quia „*testam̄tatio non privati, sed publici juris est.*“, l. 3. D. *eod.* Successionem vero ab *intestato* nullam esse jure naturali, ob defectum principii in designanda persona heredis, & *justitiae* attributivæ, inter omnes constat.

debatur dominus, voluntatem suam declarans; eodem regere debuit respublica successionem in bona ejus, qui voluntatem suam non declaraverat. Atqui *amore* sine dubio, singularique studio ducitur dominus hominem eligens, cui, quæ labore solertiaque paraverat, acceptatione sola acquirenda relinquiceret: eundem igitur ducem sibi sumere, reipublicæ est. Cum à priori, (quatenus id cogitari potest, in rebus *empiricis*) norma certa ac universalis constitui debeat; quinam cuique fuerit *carissimus*, respici non potest: quippe quod ignotum sèpissime est, fraudulentisque machinatioibus locum facheret. Igitur, qui *carissimus* esse *soleat*, & *debeat*, videndum. Cui vero animus à natura tam male informatus erit, quin eos prima dignissimaque amoris objecta agnoscat, quos tam arte natura ipsi devinxit, natos scilicet cognatosque? Hos igitur vocet ad successionem legislator. *Omnes* vero modo dictos simul succedere, quum neque utile esset singulis, neque voluntati domini conveniret; eumque, qui succedat, illorum arbitrio eligendum relinquere, nonnisi turbas in familiis excitaret perniciosissimas: prudentiæ legislatoriæ est, designare eum, qui succedat. Enimvero ab ipsa *natura* inter cognatos diversitas constituta est. Remotior est unus altero à stipte communi, sanguinemque ab illo acceptum plus minusve habet mixtum; hunc nutum sequi decet legum conditorem, proximioremque stipti communi ante remotionem vocare ad hereditatem suscipiendam: normam vero, qua cognoscatur hæc distantia à judice, certam atque perpetuam constituere debet, quæ est graduum computatio. Ita jus hereditarium cùm ex testamento tūm ab intestato, in civitatem induci fas est, atque id ipsum à Romanis inductum fuit.<sup>113)</sup> Quod

<sup>113)</sup> Successionis ab intestato fundamentum *ita* deductum reprobatur quidem à Viro ceteroquin hac de doctrina optime merito: D. Jo. Chr.



vero minus sibi constitere in computando cognationis gradu, per currentes quippe stipitem communem; id jurisconsulto legum fendarum prudentissimo nihil nocet: „Wenn ein Gesetz gleich den Grundsätzen der natürlichen Billigkeit widerspricht; (addi potest: oder inconsequent ist) so schadet dies wenig, wenn es nur zuverlässig, und nicht in seiner Anwendung eben so zufällig ist, als es vielleicht in seiner ersten Fassung war.“<sup>114)</sup>

### §. XXIX.

#### *De conditione.*

Hi jure *romano* proditi sunt modi dominium acquirendi. Omnibus his, & è regula omnibus aliis actibus *conditio* adjici potest. Hoc seposito, per totam doctrinam de *conditionibus*, naturali servit jus civile: si excepferis, quod, memor principii sui, ad *honeste vivendum* esse civium animos excitandos, turpes conditions pro non adjectis habeat,<sup>115)</sup>

### §. XXX.

#### *Possessio.*

Præter *occupationem* rerum nullius, quæ jure romano permisfa est: omnis reliqua adquisitio concernit res, quæ sunt in *alterius* dominio; quod, ut supra vidimus, nonnisi cum voluntate prioris domini, *paſto* scilicet, fieri potest. Ex pacto autem quum non jus in re, quæ est objectum illius pacti, sed tantum *jus in arbitrio*

Koch, in egregio libello: *de successione ab intestato civili.* ed. VII. §. 6. pag. 19. At, quamvis, *amorem defuncti* ad graduum hanc diversitatem se accommodasse, vix ac ne vix quidem tibi perfusaferis; tamen legislator, qui non potuit non constituire principium, illo ipso tutius juriusque invenire haud potuit. Neque vero *vis* infertur voluntati domini, cum in *subsidium* tantum successio ab intestato inducta sit.

114) SCHLOSSER über preußische *Gesetzgebung*, II. Brief. p. 107.

115) l. 14. D. de cond. insti.

*pacientis nanciscamur; & pactum titulus solum sit, quo judex cognoscat, quo jure jus in alterum transferatur: accedat necesse est *sadum*, quo *res ista nobiscum conjungatur: traditio* nimirum ab una, — *possessio* ab altera parte. Acquiritur *possessio animo & corpore simul*<sup>116)</sup> rerum corporalium *traditione*, incorporalium *cessione*: neque vero eam vim esse *possessionis* in dominium, ut illa amissa & hoc amittatur, innumera illa hac de re *interdicta*, præsertim *restitutoria* satis abunde comprobant.<sup>117)</sup>*

### §. XXX.

#### *Conventiones: juris gentium, civiles.*

Accedimus jam, absoluta priori juris rerum parte, ad posteriorem, qua de *juribus personalibus*, modisque illa acquirendi, scilicet *conventionibus* agit.

Omnis *conventiones*, quæ in civitate legibus sanctæ sunt, aut ipsa republica anteriores sunt, eaque jure naturali fundatæ; aut originem civitati debent, utpote jure naturæ proflus incognitæ. Diversam esse earum naturam, eamque potissimum in jure extendendi talium conventionum præcepta se exferere, non est, quod longe monemus.<sup>118)</sup> At ob eandem hanc diversitatem prudentis legislatoris est, memoriam Jurisperitorum sœpe, ut vidi mus, fallacem adjuvare, & semper originem patriamque institu-

116) I. 153. D. de R. J. Regula directrix in J. Rom. haec est: „sere quibuscumque modis obligamur, iisdem in contrarium actis liberamur; quibuscumque modis acquirimus, iisdem in contrarium actis amittimus. Ut igitur nulla *possessio* adquiri nisi animo & corpore potest, ita nulla amittitur, nisi in qua utrumque in contrarium actum est.

117) tit. J. de interd. 118) Librum enim illum Cel. WEBERT: von der natürlichen Verbindlichkeit und ihren gerichtlichen Wirkungen &c. philosophica scribendi ratione sese tantopere commendantem, in eorum, qui Juri operam dant, manibus esse, merito præsumimus.



ti *civilis* ostenderet. Præmissa æque ac quæ inde consequuntur, agnovere Romani: conventiones enim *juris gentium* alias, alias *juris civilis* appellare solent; vocabulum enim *legitimus* in l. 5. D. de *pactis* nonnisi *ita* accipi potest. At præter id, quod institutum civile intra fines, à republica illius auctorice ipsi positos, se continere debet: <sup>119)</sup> originem insimul pactorum indicare Romanos oportuit, idque propter servos & peregrinos, *juris civilis* quippe non participes.

### §. XXXII.

#### *Forma conventionum.*

Deinde *naturam* conventionum definivere Romani, *formamque* ineundis istis indidere, non tam restringendæ naturalis ci-vium libertatis causa: „*quod si enim in contrahendo aliquid exceptum fuerit, id servari debet;*” <sup>120)</sup> sed, ut normam habeat judex, *jus certum* fiat, nec ab arbitrio ejus pendeat, ut sciat „*in emtioribus, quid praestare venditor debeat, quidque contrario emtor.*” <sup>121)</sup> Hanc vero definitionem ad conventiones *juris gentium* æque ac ad *civiles* pertinere; itaque in eo, quod Noodtio videbatur, <sup>122)</sup> prorsus non positum esse illud, in quo differant, ex lege modo allata appetet.

### §. XXXIII.

#### *Paœta nuda.*

Gravissimam vero *immutationem* *jus naturale* expertum est à jure *civili* Romanorum, eo, quod non omnes conventiones, utut

<sup>119)</sup> Itos enim transgressum institutum non amplius haberet, quo nitatur, & *jus romanum* illos fines hac in doctrina fatis coangustavit. Conventionem enim *juris gentium*, consensu quoquo modo: eam *juris civilis*, consensu solum verbis *solemnibus*; illuc etiam inter absentes: heic solum inter presentes declarato, pronuntiavit validam.

<sup>120)</sup> l. 43. D. de *pactis*. <sup>121)</sup> l. cit. <sup>122)</sup> De *pactis & transactionibus*, c. 8. in *Operibus*.

rite initas, *validas* esse patitur. Solis enim conventionibus, quibus *negotium civile* subest, jus cogendi impertitur, easque *contratus* appellat. Ceteræ, quæ destitutæ sunt ejusmodi causa, pacta *nuda* vocantur, neque *actionem* producunt. Ratio hujus restrictionis, quæ conventionum effectus forenses afficit, & principium cognoscendi, qui sint *contractus*, quænam tantummodo pacta *nuda*: in notione ejus, quod *negotium civile* appellabant Romani, quærendum mihi videtur. Evidem ex istimo, intellexisse illos sub tali negotio *objecitum*, sive *materiam conventionis*; de qua transferenda, aut de cuius dominio aut usu agitur inter contrahentes: ut, in *contractu pignoratitio*, *pignus*, quod constituitur; in emtione venditione *equum agrumve*, quem alienare placet, &c. Ejusmodi negotia Romanis videbantur ad vitæ cultum quam maxime necessaria, atque utilia: conventiones igitur de iis initæ à republica tuendæ. Quibus vero non subest ejusmodi negotium conventionibus, illas superfluas, civibusque dannosas, judicis igitur auxilio privandas censuere Romani. Isto principio ductos fuisse, partim ex comparatione *contractuum* cum *pactis* appareat, partim ex doctrina de *pactis legitimis*, & *adjectis* comprobari mihi videtur. Ubi *insignis utilitas*, aut *favor singularis* fuasere, indita est jure speciali pacto, etiam si *nudo*, vis obligandi, actionemque gignendi: veluti, pacto debitoris, *ne petat creditor*; <sup>123)</sup> nudæ *dotis promissio*. <sup>124)</sup> Deinde, pacto, quod *contractui ex continenti* <sup>125)</sup> *adjectum* est, vis obligandi, actionemque gignendi, licet non sine *subtilitatibus*, tribuebatur. <sup>126)</sup> Hoc enim *inesse contractui* finixerunt; *hujus causæ* initum esse *contractum* præsumere, atque ita sine dubio causam supposuere pacto. Luculentius autem veritas hujus deductionis inde appetat, quod pactum *nudum ex intervallo* etiam *adjectum*, at substantiam *contractus* afficiens, re *integra*, aut *restitutis* quæ *præstata* sunt, <sup>127)</sup> *actionem & exceptionem*

<sup>123)</sup> l. 17. §. 2. D. de pactis.

<sup>124)</sup> l. 6. C. de dot. promiss.

<sup>125)</sup> etiam paulo post l. 3. C. de *adit. acti.*, „civiliter enim cum aliquo spatio“ computatur l. 1. §. 8. D. ad L. Falc.

<sup>126)</sup> l. 7. §. 5. D. de pactis.

<sup>127)</sup> l. 58. D. de pactis.



gignit; v. gr. si de augendo vel minuendo pretio rursus conveniret in emtione contrahenda: ita enim *paſto* subjicitur *caſa*, & *paſtum cum caſa* contractus est; „recessum à priori contractū, & nova emtio interyeniffe videtur.” l. 72. D. de contr. emt. 128)

### §. XXXIV.

#### *P r o c e ſ ſ u s.*

Denique, quod è coniunctione hominum in republica, eorumque subiectione sub imperio, jura eorum tumente, necessario sequi debuit: *impiis* civium manibus exercitium *juris cogendi* ademit, atque *iuslitiæ attributivæ* tradidit jus *civile*; unde ampla illa de *actionibus doctrina*, atque innumera alia juris præcepta 129) orta sunt; neque vero illud jus *civibus subditis reddi posse & debere*, è *republica* esse, censuere *Romanii*, quantumvis graviter alter contra *hanc legem & libertatem nostram* peccaverit. Fac etiam, *ipſa vi* alterum nos possessione dejecisse, *vim* tamen *vi* repellere nequaquam licet: „è contra proponitur nobis *interdictum — unde vi*, per quod is, qui dejecit, cogitur restituere possessionem.” 130) Tum *dēmum*, cum tueri nos *non possit* res publica, nos igitur contra aggressorem in statum *naturalem* recidisse videremur; jus isti statui debitum recipimus: tunc „*permitta cuicunque licentia, (invasive) dīgno illico supplicio subjugetur, ac mortem quam minitabatur, excipiā, & id quod intendebat, incurrat*”. 131) —

128) Auctor hac in doctrina gravissimus *Noordius de pastis & transactiōnibus*, v. g. in *Operibus suis* p. 138. ed. *Col. Agr.* attulit, sed non deduxit eandem legislationis Romanæ de *conventionibus rationem*: „hi, inquit, qui jus *civile* considerunt, primis temporibus noluerunt, cives suos *sine causa* obligari *conventionibus* quibuscumque ad *vitae ministeria invitilibus*: fed *dēmum conventionibus*, ad *juvanda vitæ commoda* pertinentibus”.

129) l. 13. D. quod met. c. „quisquis igitur probatus mihi fuerit, rem ullam debitoris vel pecuniam debitam, non ab ipso sibi sponte datam, sine ullo judice temere possidere vel accepisse, isque sibi jus in eam rem dixisse, jus crediti non habebit. l. 7. C. unde vi.

130) §. 6. J. de interd.

131) l. 1. C. quando liceat unicuique sine *judicio se vindicare*.

W18

**ULB Halle**  
005 361 877




3





B.I.G.



DE RELATIONE  
JURIS CIVILIS ROMANI  
AD  
JUS NATURAE  
SECUNDUM LEG. VI. D. DE JUSTITIA ET JURE.

CONSENTIENTE INCLYTO JURISCONSULTORUM ORDINE

PRAESIDE  
VIRO ILLUSTRI AMPLISSIMO  
DOMINO

JOANNE CHRISTIANO MAJER

A CONSILIIS JUSTITIAE REGI DANIE, AC PROF. JUR.  
PUBL. ET FEUDALIS ORDIN.

PRAECEPTORE SUO PIE COLENDO  
PRO GRADU DOCTORIS

DISPUTATUS  
DIE JANUARII MDCCLXXXVIII.

SCRIPSIT  
JACOBUS FRIDERICUS WEISHAAR  
KORBENSIS.

TUBINGAE  
TYPIS FUESIANIS.